



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quale habet pr[a]emium reconciliatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

patris bonitatem exhibitam in gratiarū actionē Deo patri, cōdonare debemus pximo nostro. Hoc signum gratitudinis est recepti beneficij Christi, remittere offensam proximo: quod si non fecerimus, tūc cæcus cæcū ducit, & ambo in foueam cadunt perditionis: ambo ira obcæcati, æternam lucent pœnā, nisi indulserint sibi mutuò delicta: Et iterum loquitur ad illos qui nolunt indulgere, Luc 6. Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quę in oculo tuo est, non consideras? Sic magni æstimas quod tibi fecerit homo: sed quid tu Deo feceris, non ponderas &c. Est igitur post fidem in Christum maximum opus dilectio proximi, reconciliatio, concordia, & beneuolentia: sine hac dilectione Deo non placet vel fides, vel oratio, vel eleemosyna: ideò dicit, vade primū reconciliari fratri tuo, & postea veniēs, offeres munus tuū, id est, facias quod cunq; opus bonū, & tunc Deo placebit: nō enim opus aliquod bonum rejiciur, sed inuidia cordis & odium, quæ omnia opera nostra contaminant.

Tertiò, quoniā Christus dicit, Remittite, & remittetur vobis: & docuit nos orare, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitorib. nostris: 3. Luc. 6. Matt. 6. igitur patet quòd nostra dimissio offensæ proximi & reconciliatio, meretur nobis apud Deum nostrorū debitorū remissionem. Sed si hoc verū est, Christus gratis venit in mundū, Ga. 5. cui soli tribuitur quòd eius mors & sanguis & meritum tollunt peccata mundi, vt Ioan. 1. Nam hoc certū est, quòd peccatum propter opus Christi, id est, mortem, condonatur: non ppter opus humanū. Ad hoc respōdetur, quòd fides nostra certa est & conscientia, quòd a solo Christo expectamus remissionē & iustitiā. Sic inquit Apostolus Rō. 4. Ideò ex fide, vt promissio sit certa, sed hæc fides nō est vera fides, nec rectè qrit in Christi morte remissionem, si nō primū remiserit offensam fratri suo: quòd modò

modò misericordiam accipiet, qui nullã exhibet fratri, sicut in parabola patet de seruo nequam, Matt. 18. Idè remissio nostra tametsi non meretur remissionem à Deo, hoc Christo saluum manet, attamen capax non est remissionis, nec verè eam à Deo accipiet, qui quàm primùm illam non exhibet fratri suo: ergò dimissio offense proximi, est signum certissimum, quod & nobis à Deo propter Christum dimittentur nostra delicta: sin verò secùs, neque nobis dimittentur. Nam fides sine opere mortua est. Fides enim semper efficax est, modò opera attestentur veram adesse fidem: illa sola Christum respicit, propter illum credit exaudiri orationem suam, placere eleemosynam &c. dimittentur sibi peccata: sed hæc omnia signa sunt veræ fidei. Idè si opera non sequuntur, fides inefficax est mortua. Fides igitur accipit beneficiũ Christi propter ipsum, & opus probat & testatur se non inanem esse fiduciam. Summa, fides credit quòd propter Christum ex misericordia nobis omnia donentur, remissio peccatorum, exauditio orationis, salus æterna. Sed hanc fidem esse veram & efficacem, testantur pœnitentia, opus orationis, obedientia præceptorum Dei. Quare etsi non apprahèdunt bona Christi opera, sed ipsa fides in gratuitam Dei misericordiam, necesse tamen est adesse opera, quæ testentur fidem non esse inanem fiduciam: Idè separari nullo pacto possunt, præsertim in adultis, Fides & opera: neq; fides esse poterit vbi opera non sint: opera enim certificant fidem.

*SEXTUM DEI PRAECEPTUM, Non Mœchaberis. Exo. 20.*

CAPVT XIII.

ARGVMENTA.

1. *Quibus sit præceptum ut nubant.*

2. *Quomodo*